



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

1. Avaritiæ tormentum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

Flebilibus numeris, veluti canentia durâ
 Trajectus pennâ tempora cantat olor.
 Protinus in medias ornatus defilit undas,
 Spargitur impulsâ cœrula puppis aquâ
 Inde (fide majus) tergo delphina recurvo
 Se, memorant, oneri supposuisse novo.
 Ille sedet, citharâque tenet, pretiûmque vehendi
 Cantat, & æquoreas carmine mulcet aquas.

Ethica.

I. (a) Protrahatur, hîc exclamat Valerius Max. lib. 9. c. 4. in medium avaritia, latentium indagatrix lucrorum, manifesta prædæ avidissima vorago, nec habendi fructu felix, & cupiditate quærendi miserrima. Et nemo tam firmum habuit præsidium, quod avaritia non infregerit, atque debilitaverit. In nullum avarus bonus est, in se pessimus. Hinc Corinthii isti necem Arioni machinati, sibi intulerunt; illum in pelagus, se in nefariæ machinationis supplicium conjecerunt. Plus enim sibi ipsis nocent, qui in alios fraudem struunt; quia magis hos conscientia cruciat, quàm illos damnum. *Index* expectatur, ait S. Basilius hom. 21. & avarus cogitat, ne in jus trahatur; ne orphanus suas lacrimas in foro palàm faciat. Nocte consultat, quomodo manè sibi quosdam advocatos præparet, quomodo in judicio mentiendo, destitutum opprimat. Eius animum hæ curæ continuò mordaces absumunt. Canis latrat, avarus putat furem esse. Mus fortè perstrepat, & avari cor palpitat. Filios jam grandes ut insidiatores aspicit, & successores relinquere suarum opum timet. Documentum huius rei dedere nautæ, qui feliciùs appulissent, si innocentius navigassent. Evasit è fluctibus Arion, & meri sunt, qui mergere voluerunt. Sic perfidia sibi consulit. Vide emblemata Alciati 89.

II. (b) Sed de impio pecuniæ quærendæ studio dicendi non una fabula argumentum suppeditat. De laude Musicæ pluribus paulò supra egimus in Orphea. Hîc tantùm addimus, quod Martianus Capella scribit lib. 9. de Musica; ubi ostendit, quanta sit vis Musicæ in exhilarandis, sedandis, & cicurandis nõ tantùm hominibus efferis & ebriis, sed & bestiis. Inter alia hæc habet. Cervi fistulis capiuntur: pisces in stagno Alexandria, crepitu detinentur: cygnos hyperboreos citharæ cantus adducit: elephantos Indicos Organica permullos detineri voce compertum: fistulis aves allici comprobatur: fides

(a) Avaritia tormentum. (b) Musica oblectat animantes ratione carentes.